IOANNES CASIMIRUS D.G. REX POLONIÆ

MAG. DUX LIT. RUSSIÆ PRUSSIÆ MASOVIÆ SAMOGIÆ LIVONIÆ SMOLIÆ CZERNIOQ; NECNON SUECORUM GOTTORUM VANDALORUMQ; HÆRIUS REX.

Significamus præſentibus litteris N[ost]ris quorum intereſt vniuerſis & ſingulis. Si quam inimica ſunt rerum mortalium fata Regnis Regibusq; ipſis, ac inuida hæc ſors, quæ aduerſa ſecundis alternans, miſcet verſa-
quidquid humanum; tã teperata obuiaq; ad incerta caſuum dubioſq; euentus occurrerent remedia inoffenſo certè curſu, ac extra aleam præcipitis fati, ipſa perennaret fælicitas; nec tot luctuoſæ rerum
conuerſiones, funeſtæ indies viciſſitudinis ferrent documenta. Verum cum nihil ſit ſub Sole adeò firmum, adeò ſtabile, quod non ſuo nitatur adminiculo, ipſaq; Regum Maieſtas, & ſi Auguſta apud omnes &
Sancta, ſuoq; perſtringens fulgore, debitam ſui inducit venerationem, non perinde tamen tuta adeòq; fælix, vt ſe ſupra communem rerum humanarum legem, ſuo præferat faſtigio, ſuisq; aſſerat viribus, impar per
ſe reprimenda vi, grauius incumbentis fortunæ, ac ob id prona in caſum, ni eam quæ premit deprimeretq; rerum & Imperij molem, in fidum & conſcium arcanorum pectus deriuaret. Hinc gloriæ fuit Diuis
Maioribus N[ost]ris, partiri illis curas ſuas, qui eos inter fluctuan[tis] Reipub: procellas, non tantum maturo iudicio, exploratâ fide, conſilio, expedita in agendo dexteritate, forti ac egregiè in vtramq; fortunam inſtru-
cto animo, ſecundarent, verum etiam continuo pro Rege & Patria labore, curâ ac vigilijs excubarent, in tam eminen[ti] publicæ Maieſtatis & ſalutis ſpecula, probataq; fide ac indefeſſo zelo, tam pij Sarmaticum Cælum
ſuſtentarent Atlantes. Hinc & Nos quamprimum auito Solio, cæli ductu, & liberâ populor[um] Nobis ſubiectorum voce conſedimus, cum Rempub: tot malis feſſam, ac inteſtino diſcrimine ferè ad interitum conflictatã ex-
cepiſſemus, hoc vnum turbido rerum ſtatu, crudo ſeculo ſolari potuit, ineuntisq; Regiminis N[ost]ri auſpicia recreare, quod duo ſupereſſent columina, quibus publico hoc naufragio, & curar[um] N[ost]rar[um] pars, & ſuprema Reipub: ſpes
tuto conquieſcere poſſet. Et licet vnum propero nimium fato, magnoq; dolore N[ost]ro omnis hæc morien[s] lex Nobis & Reipub: eripuiſſet, Mag[nu]m olim Georgium de Teczyn Oſſolinski Supremum Regni Cancell[ariu]m Virum ad im-
mortalitatem natum & præclarum Ciuem, ita tamen in vno offendit, vt ſeruaret in altero, ſollicita N[ost]ra de Repub: vota, tantiq; Viri iacturam penſauit ſingulari vnius R[everen]di in Chr[ist]o Patris D[omi]ni Andreæ de Leſzno Leſz-
czynski Ep[iscop]i Culmen[sis] & Pomes[aniæ]: Procancellarij Regni in Nos & Rempub: pietate, qui muneris & meritor[um] ſocius geminatam difficillimo hoc t[em]p[o]re, vtriusq; Cancellatus poſt fata Collegæ, geſti, tulit gl[ori]am, illâ p[ro]gnatus Familia ad
quam ipſi certatim concurrerent vltroq; prænſarent honores, vt nulli extiterint Mag[ist]ratus, quos ampliſſimos in Sacro & Politico ordine illa tulit, nulla Dignitas, quæ ſuum non deberet ornament[um] & decus inclytæ Leſzczyniorum
Proſapiæ. Nihil in ea vnquam ab auita gl[ori]a alien[um] p[rae]ſens & ſuperior vidit ætas, nec habebit quod exprobret inſequens, tam felici per continua decora ad poſteros traduce virtute; Sed recenſere ampliſſimos honores, dignitates, officia, titulos
egregia pace & bello merita Inclitæ huius Domus non patitur ipſa proprio veniens merito Virtus Emeriti huius Prælati, vt qui alien[um] eē ducit quidquid à Maioribus petitur, & cui glorioſius ſemper fuit non intermoritura Auor[um]
& Atauor[um] ſuor[um] geſta, non tam memorare, quam non degenere amplecti ſtudio & imitari. Illum à teneris ad ſolid[um] decus domeſtica vocabant exempla, ac vbi primam iuuentam à lubrico illo ætatis, maturâ grauitate &
varâ aſſeruiſſet modeſtiâ proferentem ſeſe in maturiores annos, ita honeſtiſſimis imbuebat diſciplinis, vt è tenerioris illo doctrinæ & virtutis profectu, ea eniteret indoles, quæ demum cum eo in publicam expectationem & ornamentum
vberrimo adoleuit fructu. In remotiores deinde Orbis partes, non illum traxit inanis viden[di] ac peragran[di] terras votum, prout plerumq; curioſos reddit oculor[um] illecebra, ſed vt comparato rerum vſu, inſigniorique doctrina, eo no-
biliore quo præſtantior experimento & l[ite]ris, Regi & Reipub: nauaret operam. In Regia Diuo Progenitore N[ost]ro quâ egerit innocentiâ, documento grauis illa Tanti Regis & merito Magiſtra Regum cenſura, quæ eximijs illos fauo-
bat virtutibus, ornabatq; raras animi dotes; tum & ſublime ac verè Regium Ser[enissi]mi olim Vladiſlai IV. Fr[atr]is N[ost]ri deſiderati[ssi]mi iudicium, quo in Cancellarium Ser[enissi]mæ olim Reginæ Cæciliæ Renatæ adſcitus, ipſa ſibi integritate, ac
incorrupta quâ muneri huic præfuit fide, paterna adornabat decora, ducebant vo[lu]n non falſo omine ad vtrumq; Regni Cancellariat[um], inq; partem Regiar[um] curar[um] vocabant ipſa fata. Promouebat inſignis boni publici zelus, non vul-
garis & multo labore quæſita eruditio, innata in expedien[dis] grauiſſimis rer[um] momentis, fælicitas, rara Patrij inſtituti & Legum peritia, omniaq; quibus optimum exprimeret Patrem, quem verè Patrem Patriæ iam ob præclara in
Rempub: merita cælum recepit virtutum conſenſus. Quodſi deplorat expendamus Interregni tempus, ſufficiebat ad cladem & interit[um] ſola luctuoſa Victorioſiſſimi Principis Vladiſlai IV. Regis Fr[atr]is N[ost]ri deſiderati[ssi]mi mors, vt ad repri-
men[dos] hoſtiles conatus & tropheæ ſuperſtes eius vita & nomen; ni alia ſubito, & extremam huic Regno datura period[um] ſucceſſiſſet calamitas, perduelli Coſacor[um] ſcelere, qui coactâ ſine numero proditor[um] hominum ac barbaror[um] colluvie, e-
xutoq; milite Caſtris in ditiones Regni effuſâ promiſcuâ cæde, ferro, flammâ in obuia quæq; graſſabatur, ita vt omnia ipſo impetu infeſta ipſum prætenderet Regni huius occaſum, inter alios Leſzczynii Vicecancellarij virtute, in-
victo & in aduerſa firmato a[n]i[m]o, integrâ ſpe, labore ac vigilia ſtetit publica ſalus & fortuna. Quamobrem cum Auguſtum hoc Regiæ ſollicitudinis pignus, ac inſigne ſoli virtuti & publico bono ſacrum Aquila maior, quo ſuo deſtitu-
tâ Præſide, tantiſper ad Regium Thronum N[ost]rum, tutum orbitatis aſylum ſe receperat rediuiuum in Filio nacta Patrem quaſi ad ſuam poſtliminio properet ſtation[em], ac in ſanctiori Tanti Prælati zelo ſingulari in Regem
& Rempub: fide ac integritate conquieſcere geſtiat, editurum eiuſdem auſpicijs, tot publicæ fælicitatis & Patriæ pignora, quot emeritos eodem pronouen[dos] ornauerit Ciues, tum quod iam Minor &ſi [illegible] cedat ad alium prout fata traxerint tranſitura, Supremum Cancellariatum Regni moderno
ſupra vacan[tem] conferen[dum] eē duximus eidem R[everen]do in Chr[ist]o P[at]ri D[omi]no Andreæ à Leſzno Leſzczynski Ep[iscop]o Culmen[si] & Pomes[aniæ] præſenti ex conſilio Senatus conferimus præſentibus, volen[tes] vt ijſdem prærogatiuis, quæcunq; vel ex legum præſcripto vel ex veteri conſuetudine huic muneri annexæ ſunt, tam gau-
deat, vti fruatur, quam diu maiorem dignitatem, quam cum præſen[ti] munere ius non ſit, aſſecutus fuerit. Quod omnibus notum eē cupien[tes], ac inprimis Regni N[ost]ri Dignitarijs Officialibus, Equeſtris Ordinis, cæterisq; cuiuſuis conditionis hominibus Mandamus vt d[ic]tum R[everen]d[u]m Andream a Leſzno Leſzczynski
tanquam verum & l[egi]timum Regni Cancellarium agnoſcant, eiusq; authoritati pareant, prærogatiuis ac priuilegijs vti frui patiantur Pro gr[ati]a N[ost]ra. In quorum fidem præſen[tes] manu N[ost]ra ſubſcriptas Sigillo Regni communiri mandauimus. Datæ Varſauiæ in Conventu Regni G[e]n[er]ali Die
Menſis Decembris Anno D[omi]ni MDCL. Regnorum Noſtrorum Poloniæ & Sueciæ III° Anno.

Ioannes Casimirus Rex

Albs Radziwilowski
Cap. Radzicion. Secr. Regius

[illegible] w 1 Sixsio [illegible]
[illegible]

S. Andrzejowi Leszczynskiemu Na Kanclerstwo ko. Przywiley
1656

1656

164